

DISPUTATIO JURIDICA

De

FORMA ET MO-
DO TESTANDI.

16

1650, 2

Quam

Divinâ favente gratiâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi

DN. GREGORII BICCHII,

U. J. D. & in Inclyta Argentoratensium

Academia Pandectarum Professo-
ris celeberrimi,

Dn. Patroni & Præceptoris sui omni observantiæ
& honoris cultu prosequendi,

Publica eruditorum disquisitioni submittit

JOHANNES ERNESTUS RENCKERUS
Lohrensis Hassus.

Ad diem 23. Martii, horis locog, solitis.

ARGENTORATI

Typis Excudebat JOHANNES Pichel

Anno M. DC. L.








ILLVSTRISSIMO AC
CELSISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO,

DN. ERNESTO,
HASSIÆ LANDGRAVIO,
COMITI IN CATIMELIBOCO,
DECIA, ZIEGENHAINA
ET NIDDA,
PRINCIPI AC DOMINO
SUO CLEMENTISSIMO.

 *I ad Tuam Clementiam tot ingentia me-
rita attendam, nullum munus, quod
aut Natura, aut exigui temporis
industria mihi concessit, mei in Celsit. Tuam
obsequii, & Tuorum in me meosque beneficio-
rum æquare potest. Sed cum Celsitudo Tua,
nec desideret remunerandi vices, nec tenuis
ac inferior Fortuna pares suppeditare queat,
ego nunc primus, ex ditionibus nuper in si-
num Tuum collatis, specimen aliquod Juridi-
cum præbiturus, diu multumque dubitavi,
):(2 foret-*

foretne devotio an temeritas hoc quale quale
exercitium cum tanta fiducia Illustrissimo
nomini Tuo dedicatum ire, præsertim cum
haud ignorem maxima etiam ingenia, &
quorum scripta ab omnibus in delitiis habentur
in eiusmodi occasionibus tremoris vix
expertes esse. Vicerunt omne illud obsta-
culum, Illustrissime Princeps, Heroica illa
Tua virtutes, quarum, cum in eo maxime
elucescat magnitudo, si inferiorum desideriis
benignè faveant, magnam concepì spem fore,
ut & Tua Clementia hunc conatum meum
in signum debita submissionis admittere, &
erratis, quæ forsàn per ætatem influxère, pro
Principali benignitate ignoscere dignetur.
Vale itaque, Celsissime Princeps, &, dum
omnia vota nostra pro incolumitate, felicitate
ac gloria Tua tendunt, hæc TheSES Juridicas
eo amplectere animo, quo omnium sub-
ditorum Tuorum justa desideria & pia ex-
cipere soles. Dabam Athenis Alsaticis, die
14. mensis Martii A. C. 1650.

Illustriss. Celsit. Tuæ

Humilimus
Johannes Ernestus Renekerus
Author & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA

De

FORMA ET MODO
TESTANDI.

Thesis I.



Uod Capolla Jctus *in princ. tract. de servitut.* de materia Servitutum prædiorum dixit: Utilem eam quidem esse, sed ex diverso subtilem: Id ad hanc testamentorum materiam optimè ac verissimè accommodari potest: Utilem eam esse, nemo sanus inficiabitur, eò quòd quotidie in foro versetur, & ob id tacite omnes sibi auditores poscat. Subtilem esse, testantur Jcti, adeò, ut Julius Clarus existimârit, nullum in Jure tam salebrosus locum esse, quàm illum de testamentis; unde ad veritatem eius investigandam, veteres Jctos ex inferis revocandos esse in loco quodam Viglius arbitratur.

II. Ex usu itaque atque utilitate meâ facturus mihi videor, si de hac testamentorum materia aliquid pro ingenii modulo disseruero: Verùm cum ob latitudinem tota hæc materia pro instituti mei ratione tractari nequeat, ideò de forma testamentorum tantùm nonnulla dicturus sum.

III. Cum autem diversæ sint formæ testamentorum condendorum pro diversitate testamentorum, ideò ante omnia genera eorundem diversa hîc sunt designanda, ubi prima oc-

A

currit

2.

currit divisio notanda: Quod testamentorum alia sint publica,
alia privata: Quemadmodum scilicet reliqua instrumenta di-
cuntur publica vel privata, quod publicâ aut privatâ fide fiat,
*l. in donationibus 31. verb. publica monumenta. C. de donat. Wesenb.
pr. ff. de fide instrum.*

IV. Publicâ fide muniuntur testamenta duobus modis:
Uno quo testator ultimam suam voluntatem (nudè & simplici-
ter absque solennitatibus testamentariis, Obrecht. *in disput. de
success. testam. thes. 122.*) libello supplici consignatam Principi
offert, eamque omnibus proceribus, & qui in consistorio sunt
Principis audientibus, recitatam, in scrinia ipsius referri petit,
l. omnium 19. ubi Dd. C. de testam. Et hoc modo testamentum
factum omnium testamentorum solennitatem superat, quia
coram tot nobiles personis prælegitur, & quia Princeps,
dum libellum accipit, fidem suam ad eius observationem & cu-
stodiam astringit, *d. l. omnium 19. C. de testam.* Quare in hoc
testamento heres institutus, toto Jure (quod scriniis Principis
continetur) veluti teste, ex tali testamento, publicâ fide facto
& probato, succedit, *d. l. omnium 19. Nicolaus Reusn. volum. 2.
part. 4. cap. 18.*

V. Altero modo publica fiunt testamenta, cum quis
ultimam suam voluntatem palam coram Judice vel municipi-
bus apud acta declaratam, vel prius scripto comprehensam,
quam suam esse testetur, in acta referri petit, *d. l. omnium 19. C. de
testam.* Ex quo huius testamenti, sicut aliorum actorum publi-
ca fides erit, etiam sine testibus, dummodo in actis reperiatur,
*d. l. omnium 19. l. sancimus 27. in verb. vel inter acta manifestaverit.
C. de testamentis.*

VI. Si autem dubitetur. an coram Judice testamentum
factum sit, duobus saltem testibus id probari debet, *arg. d. l. o-
mnium 19. in fin. in verb. idoneis testibus.* Frustra enim de vi testa-
menti quæritur, nisi prius testamentum factum esse constet.
Imò nec ipsa judicialia acta fidem faciunt, nisi duobus testibus
acta judicialia esse probentur, *c. quoniam contra falsam 11. extr. de
prob. Nic. Reusn. part. 4. c. 19.*

VII. Pei-

VII. Privatâ fide muniuntur testamenta, quando testator privatorû auribus supremam suam voluntatem committit, *d. l. omnium 19. C. de testam.* Et hæc testamenta (ob evitandas fraudes, quæ in testamentis fieri solent) certas ut plurimum solennitates desiderant, quamvis in nonnullis de iis aliquid remittatur: Unde testamenta alia solennia, alia minus solennia appellantur. In solenni testamento omnes Juris civilis solennitates ad unguem sunt observandæ, atque hoc quia proprium est paganorum, *l. ult. C. de inoff. testam.* rectè etiam dicitur pagani, ab iisque sæpius fit scripto, interdum etiam sine scripto per nuncupationem: Unde testamentum solenne dividitur in scriptum & nuncupativum. *Colleg. Juridic. Argent. libr. 28. tit. 1. thes. 4.*

VIII. Istæ autem solennitates, quæ Jure civili ad testamentum solenne requiruntur, vel sunt communes omnibus testamentis solennibus, vel scripto aut nuncupativo propria. Communia solennia respiciunt 1. Testes. 2. Ipsam testatoris ultimam testationem. 3. Totum testationis actum. In testibus consideranda sunt tria: 1. Condicio seu qualitas, qui nimirum testes rectè adhibeantur. 2. Numerus, quot adhibeantur. 3. Rogatio, quomodo rectè adhibeantur.

IX. Possunt autem regulariter omnes in testamento testes adhiberi, qui non expressè prohibentur testamento testimonium perhibere, *argum. l. 1. §. 1. ff. de testib.* quam prohibitionem cum Donello facio duplicem: Alii enim naturâ, alii lege prohibentur.

X. Naturâ dicimus cum Donello *lib. 6. cap. 7.* prohiberi eos, qui licet velint, tamen testimonium perhibere nequeunt, vel quia quid agitur, non intelligunt propter animi morbum aut ætatis infirmitatem, ut furiosus, *§. 6. Instit. de testam. ordin. nisi tempore dilucidi intervalli, l. 41. ff. de Regul. jur. Prodigus. d. §. 6. l. 18. in princ. ff. qui testament. fac. poss.* Impubes, *d. §. 6. etiamsi pubes sit, cum testimonium dicere jubetur. Glossa in l. ad testium 22. ff. qui testam. fac. poss.* Viglius *ad §. testes autem. Inst. de testam. ordin. num. 8.* vel quia sensu percipere nequeunt id quod agitur, ut surdus, cæcus, *d. §. 6.* vel quia quod perceperunt &

runt & intellexerunt, eloqui non possunt, ut mutus, d. §. 6. *Inst. de testam. ordin.*

XI. Mutum tamen & surdum hodie eadem distinctione, quâ ex constitutione Justiniani testari possunt, etiam testes esse posse aliquot argumentis contendit Reuberus *in tract. de testib.* sed quia olim hi testes esse non potuerunt, neque id expressè Jure mutatum est, periculosum fuerit, hanc testimonii perhibendi facultatem contra Jus vetus illis indulgere, *argum. l. precipimus 32. in fin. C. de appellat.* neque is favor, ob quem Justinianus prædictis personis testamenti factionem concessit, versatur etiam in testimonio perhibendo; cum aliud sit testamento suam voluntatem declarare, aliud alterius testamento interesse, & fidem suam accommodare, & per consequens ab illo ad hoc non rectè argumentum daretur.

XII. Lege prohibentur testes esse, qui, cum naturâ testimonium perhibere possint, justis de causis in testandi actu ab ea prohibitione excluduntur: Ex hoc genere prohibentur quidem in testamentis adhiberi testes in totum seu omnimodo: Quidem in tantum & quodammodo ob privatas & peculiare causas in eo solum testamento, de quo agitur. Prohibendi in totum tres sunt causæ. 1. Status personæ. 2. Sexus. 3. Damnationis sententia.

XIII. Propter statum personæ testes esse prohibentur illi, qui non sunt cives Romani, nam & testes testamentarios cives Romanos esse oportet, *l. hæc consultissima 21. in princ. C. de testam.* Hoc verbo exclusi sunt servi, qui non in hac re tantum, sed in totum Juris civilis communionem non habent, §. testes 6. *Institut. de testam. ordin. l. 20. §. Servus. ff. qui testameneum fac. poss.* quippe qui in eo habeantur pro mortuis & nullis, *l. quod attinet. de Reg. jur.* Huc etiam referuntur deportati, qui quidem expressè in Jure non sunt prohibiti, sed tacitè, quia hîc postulantur testes cives Romani, deportati autem cives esse desierunt. §. cum autem 1. *Instit. quibus modis ius patr. pot. solv.* Idem constituit Novella Maximiliani I. de homine proprio, quem in testamento scripto arcet à testimonio testamentario, §. Nun die Form eines Testaments, *ibi auch der Leibeigenschaft frey*

5.
frey. Pertinent etiam huc damnati ad triremes, quos Galleen-
fnecht appellat Satlerus *in notariat. part. 2. cap. 37. §. Und seind*
diese Zeugen. num. 4.

XIV. Sufficit autem testem esse liberum eo tempore,
quo testamentum conditur, licet postea servus factus sit, quia
conditionem testium inspicere debemus, cum signarent, non
mortis tempore, *l. 22. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. l. 1. C. de testam.*
Utrum verò hoc ad statum tantum testium pertineat, seu no-
tam servilem, an verò etiam ad alias notas, puta, quia tempore
facti testamenti fuit famæ integræ, postea autem factus intesta-
bilis, apud veteres etiam interpretes dubitatum esse constat.
Azo *in summ. Cod. de testam. num. 6.* ad solam servitutem hoc
astringit, propterea, quòd *l. 22. ff. qui testam. fac. poss.* agat de
mutata conditione testium, esse autem infamem, non esse de
hominis conditione, sed, ut loquitur, de sui vitio. Verùm
Joan. Faber *in §. 5. Instit. de testam. ordin. num. 15.* contrarium
tuetur, quia *d. l. ad testium 22.* loquitur generaliter, non distin-
guendo notam servilem ab alia. Et hæc sententia nobis proba-
bilior videtur.

XV. Ob sexum prohibentur testes in testamentis esse
mulieres, *l. 20. §. mulier. ff. qui testam. fac. poss.* quia pro fragili-
tate sexus non satis intelligunt fraudes, quæ in testamentis
subornandis à peritis architectis earum rerum strui solent. In iis
autem testamentis, quæ citra solennitatem fiunt, mulieres inter-
venire possunt, cuius generis sunt quatuor ferè species. 1. Mili-
tare. Dd. communiter *in l. 20. §. mulier. ff. qui testam. fac. poss.*
Bauer. *in §. planè. Inst. de testam. milit. num. 3.* 2. Inter liberos.
secundum gloss. *in Auth. quod sine. C. de testam.* 3. Ad pias cau-
sas. Jason *in l. hæc consultatissima. 21. §. ex imperfecto. C. de testam.*
4. Pontificium vel municipale, id est, cum aliquâ lege Juris
communis solennia abrogantur, ut est in pontificali ditione,
nonnullisque municipiis. *cap. cum esses. cap. cum relatum. extr.*
de testam. arg. l. si non speciali 9. C. de testam. etiam quoad bona
alibi sita. Gail. *lib. 2. observ. 128.* Cuiac. *consult. 36. & in not. ad*
Cod. d. tit. ubi est, quòd secundum patriæ suæ mores & con-
suetudinem quisque testari debeat. In donationibus quoque

mortis causa ac Codicillis communi assensu Interpretum mulierum valere testimonium receptum est. *not. in l. fin. verb. quinque testes. Cod. de codicill. ubi & glossa Bartol. in l. qui testamento 20. §. mulier 6. ff. qui testam. fac. poss. Schneidevv. in §. testes 6. num. 3. Instit. de testament. ordin. Harprecht. in §. 3. & 4. num. 240. & seqq. Inst. eod. Farinac. de testib. quaest. 19. num. 67. Carpzovius prax. forens. part. 3. centur. 1. distinct. 30. num. 2. & distinct. 36. num. 7. & 8. An autem Hermaphroditus ad testamentum adhiberi possit, qualitas sexus incalescentis ostendit. l. 15. §. 1. ff. de testib.*

XVI. Ob delictum & inde secutam damnationem prohibentur testes esse in testamentis damnati repetundarum, *l. repetundarum 15. ff. de testib. l. 20. §. ult. ff. qui testam. fac. poss.* item ob carmen famosum, *l. 18. ff. eod. l. 21. ff. de testib.* In eadem causa sunt ii, qui quovis iudicio damnati sunt, aded ut lege jubeantur intestabiles esse. *§. 6. Inst. de testam. ordin.* id est, qui ita damnati sunt, ut neque testamentum facere, neque aliis testimonium dicere possint, *l. 26. ff. qui test. fac. poss.*

XVII. Privatæ causæ, ob quas quidam prohibentur esse testes in testamentis, duæ sunt. Potestas inter testatorem & testem constituta, & negotium testamenti, quod cum teste geritur. Ob potestatem ad testamentum patris non potest adhiberi filiusfamiliæ, quia pater & filius, vi potestatis, una persona esse censentur, *§. sed si quis 4. Instit. de inutil. stipulat. l. ult. C. de impub. & al. substit. nemo autem sibi testis idoneus esse potest. l. testis idoneus 9. & seqq. ff. de testib.* Neq; pater ad testamentum filii fam. rectè adhibetur, si fortè post missionem de castrensi vel quasi castrensi peculio testetur, quia filius post missionem de bonis castrensibus vel q. testatur Jure communi, quo filio pater testis esse nequit. *d. l. 9. ff. de testib.* Secus si in militia testetur, tunc enim patrem rectè adhibet testem *l. qui testamento 20. §. 2. ff. qui testam. fac. poss.* Eadem ratione etiam frater in testamento fratris testis adhiberi non potest, *§. in testibus 9. Instit. de testam. ordin.* quamvis hic in potestate fratris non sit: Quemadmodum enim pater in testamento filii familiæ non rectè adhibetur, ita nec alius filius, qui iu eiusdem patris potestate est, quia & is cum

is cum patre una persona esse censentur, alioquin enim ipse pater adhiberi videretur, quod non est permillum. Donellus *lib. 6. comm. cap. 7.*

XVIII. Ob negotium, quod inter testatorem & testes agitur, testis esse non potest heres institutus, neque is, qui in eius potestate est, neque is, qui eum habet in potestate, nec fratres, qui cum eo in eiusdem patris sunt potestate, §. *sed neque heres 10. Instit. de testam. ordin. d. l. qui testamento 20. ff. qui testam. fac. poss.* Prohibentur autem hæ personæ, quia & ipsæ in re propria alioquin futuræ essent testes, utpote quæ successione in univèrsum Jus defuncti, §. *legatariis 11. vers. non iuris successores Instit. de testam. ordin.* una cum ipso fiant persona. Ut igitur testator sui testamenti nequit esse testis, ita nec heres, qui testatoris personam repræsentat. Connan. *lib. 9. c. 3. n. 6.* Duaren. *ad hunc. tit. ff. fol. 326.*

XIX. Legatariis autem, & fideicommissariis testimonium non denegatur, quia, cum non in univèrsum Jus defuncti, sed in certas tantum res, easque singulares, succedant, non tam sibi quàm testatori & heredi testimonium perhibent, *d. §. legatariis 11.* & ibi Interpretes commun. Imò fideicommissarium etiam univèrsalem in testamento, quo hereditas fideicommittitur, testem esse posse. affirmat Dn. D. Locamer. *quest. 218. super Institut.* Sed in fine tamen monet, propter abusum eum non facilè esse vocandum: Nam quamvis fideicommissarii univèrsales videantur esse Juris successores, *argum. §. 3. Instit. de fideicommiss. hered. junct. §. 11. Instit. de testam. ordin.* ut hoc uno ore omnes Interpretes notare *ad d. §. 11. Instit. d. tit.* ait Bachovius. Verum tamen est, illum non esse Juris successorem primariò, sed tantum secundariò per heredem fiduciarium, & pati etiam cogitur deductionem quartæ, ut ad C. J. A. *l. 28. tit. 1. th. 12. n. 4. in fin.* notavit celeberrimus antecessor huius Universitatis Dn. D. Bitschius.

XX. Secundum requisitum in testibus est, ut adhibeatur legitimus numerus. In utroque enim testamento numerus septenarius præcisè est observandus, §. *3. & ult. Instit. de testam. ordin. l. 12. in princ. l. 21. pr. C. de testam. aded, ut si unus de se-*

de septem testibus defuerit, jure deficiat testamentum. *d. l. 12. in princ.* quamvis plures adhiberi possint quàm septem, *l. 21. in fin. princ. ff. qui testam. fac. poss.* Et si autem in cæteris causis duo tantum testes sufficiant, *l. ubi 12. ff. de testib.* tamen in testamentis, in quibus sæpissimè fiunt fraudes & falsitates, numerus iste septenarius præcisè est observandus, *d. l. 12. in princ. l. 21. pr. C. de testam.* Et iste numerus non solum est de testamenti formâ probatoriâ, sed etiam de eius formâ substantiali, adeò, ut, eo omisso, testamentum in foro nullo modo valeat, quantumvis de testatoris voluntate aliàs abunde constet. Clarus §. *testamentum. quest. 59. num. 2.* Bartolus in *l. 55. ff. de legat. 1. Vacon. à Vacun. lib. 4. declarat. 53. num. 8. & lib. 5. declar. 69. num. 5.* Quod autem de numero testium dictum est, id tunc obtinet, ubi de substantialibus quæstio est, si verò de declaratione aliquâ facta post testamentum quærat, ut in *l. 21. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* duos sufficere testes auctor est Joh. Faber in §. 5. *Inst. de test. ord. n. 14.*

XXI. Tertium requisitum in testibus est, ut ad testamenti factionem specialiter sint vocati & rogati, *l. heredes palam 21. §. in testamento 2. ff. qui testam. fac. poss.* aut si ad aliam rem vocati sint, vel etiam fortuito intervenerint, prius admoniti, se ad testamentum adhiberi, *l. 21. §. pen. ff. qui testam. fac. poss.* Constit. Maximiliani 1. promulg. in comit. Colon. Anno 1512. §. 27. Licet enim in aliis actibus non requirantur testes rogati, *l. ad fidem 11. ff. de testib.* tamen in testamentis, in quibus maximus subest timor fraudis & falsitatis, voluit lex adhiberi testes non fortuitos, sed ad id in specie rogatos, ut diligentius ad ad omnia animadverterent. Julius Clarus *dict. §. test. mentum. quest. 58. num. 1.*

XXII. Præterea & hoc utrique testamento commune est, ut omnes testes coram testatore sint, & in illorum conspectu testamentum fiant, *l. 9. & 12. in princ. C. de testam.* atque ideò, si cortina vel paries intermediis fuerit inter testatorem & testes, non valebit testamentum, etiam si testes haberent notam vocem testantis: Potuisset enim alius supponi, qui testatoris vocem simulare potuisset, quod suis temporibus à sagace quâdam

quâdam muliere factum esse, attestatur Julius Clarus *d. §. testamentum. quest. 59.* Adde Michaëlem Grass. *§. testamentum. quest. 54. num. 4.*

XXIII. Atque ita, cùm in septem illis testibus, simpliciter ad testamenti factionem rogatis, nullum vitium reperitur, sequitur pars secunda eius actionis, quam testamenti factio desiderat, posita in testatione & declaratione voluntatis testatoris, quæ declaratio in utroque testamento aded est necessaria, ut, si quis exemplum testamenti præparaverit, prius autem decesserit, antequam coram testibus de suprema sua voluntate testatus sit, exemplum illud ne Codicilli quidem vim obtineat.

Et si testator in nuncupativo testamento ante supremam contestationem obtumescat, magis cepisse quàm fecisse testamentum intelligitur. *l. 25. ff. qui testam. fac. poss.*

XXIV. Restat adhuc tertia huius actionis pars, posita in ipso testationis actu: Actus autem testationis debet esse unus, ita, ut uno tempore, unoque contextu peragantur, quæ ad ipsam testationem requiruntur, non intermixto actu alieno seu ad testamentum non pertinente, *§. 1. Instit. de testam. ordin. l. 21. §. ult. ff. qui testam. fac. poss. l. 21. §. per nuncupationem 2. C. de testam.* nisi necessitas valetudinis, vel natura ipsi testatori vel alicui ex testibus actum aliquem extraneum naturâ brevem expresserit, *l. 28. in princip. C. de testam.* Hoc autem ideò constitutum esse putamus, ut, ne testator ad alia delapsus & testandi actu iuterrupto, minùs seriò hanc rem agere, & ex intervallo ad intermissam quantisper testationem reversus, eorum, quæ prius acta fuerant, obitus esse videretur. *arg. l. 28. vers. si tamen. C. de testam.*

XXIV. Atque exinde nobis in proclivi est nobilem illam controversiam decidere: An contractus in testamento celebrari possit. Accursius & cum eo non pauci affirmant venditionem cæterosque contractus in testamento celebrari posse, si brevi spatio absolvi queant, ut si testator dicat: *Dono vel vendo talem rem tibi centum aureis, & tu consentias,* quod exemplum affert Accursius *in l. 21. §. ult. ff. qui testam.*

B

fac. poss.

fac. poss. Adde Connan. *lib. 9. comm. cap. 2.* Duaren. *ad tit. ff. qui testam. fac. poss. cap. de nuncup. testam.* Quidam autem non aliter admittunt, quam si aliquo modo ad id, quod in testamento agitur, pertineat, veluti si una pars prædii legetur, altera vendatur.

X X V I. Nos autem nullum omninò contractum in testamento celebrari posse cum Viglio Zuichemo. Doct. Locamer. *in quest. 216. super Institut.* & aliis non paucis putamus, propterea, quia contractus est actus à testamento alienissimus, *l. 20. ff. de verb. signif.* in testamentis enim requiritur una tantum voluntas, *l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* in contractibus autem duorum vel plurium, *l. 1. §. 2. ff. de pact.* Nec ulla lex est, quæ Accursii & aliorum opinionem sustineat, nam quòd *in l. assignare 7. ff. de assignand. libert.* assignatio in testamento fiat, nihil probat, cum ea sit de eo, quod quis post mortem suam fieri voluit, nec quicquam de assignatione tum cum aliis agitur, sed tantum voluntatem suam testator sine contractu declarat. Quemadmodum & cum pignus testamentarium scilicet non conventionale constituitur, *l. non est mirum 26. ff. de pignorat. act.* & cum amanuensi quis dicat, se illum curatorem constituere, *l. ex sententia 29. ff. de testam. tut.* nullus enim hic actus est extraneus, vel contractus, sed tantum voluntatis suæ sententia. Etsi autem donatio mortis causa in testamento fieri possit, ut quidam ex *l. etiam 11. ff. de inoff. testam.* elicere conantur, eam tamen fideicommissi naturam assumere Dd. comm. interpretantur Vigl. *in §. sed cum paulatim 3. Inst. de test. ord. n. 5.* Bart. *in l. 1. ff. de don. caus. mort. Dec. cons. 196.*

X X V I I. Hæ sunt solennitates, quas Jus nostrum in utroque testamento desiderat, quæ aded sunt necessariae, ut, si vel una sit omissa, testamentum utpote non Jure factum. *l. 1. ff. de injust. rupt.* in foro soli externo pro non facto habeatur, adeoque nullum effectum obtineat, etiamsi Imperator in eo heres institutus sit, *l. 3. C. de testam.* An autem is, qui ab intestato successurus est, & cui de voluntate testatoris constat, teneatur in foro conscientiae hereditatem restituere illi, qui in testamento minus solenni institutus est, legataque in eo relicta
solvere.

solvere, quæstio est gravissima, quæ in diversas sententias traxit
 Canonistas, ut videre est apud Covarruv. in *cap. cum esses. extr.
 de testam. Jul. Clar. dict. §. testamentum. quest. 90.* & post eos
 diffusè eleganter apud Ludovicum Molin. *de iustir. & iur.
 tract. 2. disput. 81.*

XXVIII. Nos cum Panormitano & compluribus aliis
 id affirmamus, & quidem hâc ratione, quia solennitates in
 testamentis propterea adhibentur, ut testamentorum confe-
 ctio sit expers omnis fraudis, & ut testamenta dolo malo ca-
 reant, *l. 32. C. de fideicommiss.* Si ergò constat nullam fraudem
 intervenisse, sed voluntatem testatoris hanc fuisse, ut bona ad
 extraneum ita institutum devenirent, dicendum erit, validum
 esse eiusmodi testamentum, & cessare legis humanæ prohibi-
 tionem. Præterea naturalis obligatio oritur ex sola voluntate
 testatoris, quamvis testamento minùs solenni expressâ, hæc au-
 tem sufficit ad hoc, ut dominium transferri possit, & testamen-
 tum in foro conscientiæ validum sit.

XXIX. Cùm autem prædictæ solennitates Jure civili
 sint introductæ, dubium non est, quin contrario Jure civili,
 consuetudine vel statuto tolli possint, §. *sed naturalia II. Instir
 de iur. nat. gent. & civil.* Si ergò quis testamentum juxta loci
 statutum fecerit, illud etiam vires obtinet extra territorium,
 ubi vel Jus commune servatur, vel aliæ solennitates sunt re-
 ceptæ. *Gail. lib. 1. observat. 128. Mynsing. §. observ. 20. Coraf. 3.
 de art. iur. cap. 14.* Quamvis dissentiat Fernand. *Vasq. libr. 1.
 controvers. 3. num. 17. & seqq.* qui vult, locum testatoris esse
 spectandum. Hæc de communibus solennibus utriusque
 testamenti.

XXX. Propria solennia in specie testamentum scri-
 ptum respicientia, sunt, ut præter supra enumerata requiratur
 1. Scriptura testamenti, quæ vel ab ipso testatore vel ab alio
 eius nomine fieri potest, *Novell. 119. cap. 9.* modò testator scri-
 bendi peritiam habeat, *l. jubemus 29. C. de testam.* nec interest,
 an ipso testationis tempore fiat, an multò antel. *21. vers. in
 omnibus. Cod. de testam.* modò integris fiat literis non notis,
l. 6. §. ult. ff. de honor. possess. Novell. 197. cap. 1. Authent. quod
 B 2 sine

fine. Cod. de testamentis. Huc etiam referendum, quod unum testamentum pluribus codicibus seu exemplaribus authenticis confici possit. §. 13. *Instit. de testam. ordin.* modò in omnibus eadem solennitates necessariae observentur, d. §. 3. Habentur autem diversae illae tabulae pro uno testamento, etiam tum, cum heredes diversi diversis illis codicibus sint scripti, modò exemplaria illa omnia eodem tempore scripta fuerint & signata, l. 1. §. 6. ff. de bon. possess. sec. tab.

X X X I. 2. Subscriptio testatoris, nisi testamentum sit holographum, idque testator aliquam partem testamenti sui adiecit, l. 28. §. ult. *C. de testam.* at si ipse scribere nesciat, vel aliam non possit, octavus testis adhibendus est, qui eius nomine subscribat, l. 21. in princip. l. 29. *C. de testam.* Quod tamen de eo testatore, qui scriptum legere possit, est intelligendum, nam si nec scribere neque legere possit, parum quoad scripturam à caeco differre, ut proinde quae in testamento caeci requiruntur, l. 8. *Cod. qui testam. fac. poss.* eadem quoque requiri debere in testamento illius, qui scriptum legere nesciat, notat Gothofredus in l. 21. vers. quod si literas. *C. de testament.* eaque ratione scribendi peritiam exigit, l. 29. *C. de testam.* Novella Maximiliani I. de anno 1512. §. 28. Item Es gehöret zu einem jeden Testament. ut falsi suspicio absit longius à testamento scripto, si enim testator scribere atque legere nesciat, utcunque ipsi à scriptore testamenti scriptum praelegatur, tamen nihil facilius est, quam scriptorem testamenti aliquid adicere, quod sit praeter voluntatem testatoris, & id ipsum tamen in legendo praeterire: quàm ratione facile vera suprema iudicia subverterentur; omnis autem ratio vera iudicia subvertendi est vitanda & damnanda §. 1. *Instit. de testam. ordin.* §. 1. *Instit. de testam. milit.* l. 14. de *testam. milit.*

X X X I I. 3. Subscriptio testium, quae proprio ipsorum chirographo fieri debet ab omnibus & singulis, §. 3. *Instit. de testam. ordin.* l. penult. ff. *qui testam. fac. poss.* & haec subscriptio testium aded est necessaria, ut si unus ex septem testibus nomen suum non adscripserit, pro non adhibito habeatur, l. 22. §. 4. l. penult. ff. *qui testam. fac. poss.* l. 21. *C. de testam.* Si autem testa-

testator suâ manu testamentum scripserit, tunc sufficere quin-
que testes subscripsisse. *ex l. cum antiquitas 29. in fin. C. de testam.*
voluit Vigelius *Method. lur. civ. l. 91. cap. 9. except. 74. repl. 1. in fin.*
& *meth. lur. controv. l. 1. cap. 2. reg. 21. except. 26. replic. 14.* Quam
tamen sententiam certam non esse, neq; ex allegata lege probari
posse in discursu ostendemus.

XXXIII, 4. Obsignatio testium, ubi tamen non
quovis impresso seu signo, sed solo annulo *καραινῆρα* habente,
id est, signatorio, apud Romanos signare testes poterant, *l. 22.*
ff. qui testam. fac. poss. cum enim scrupulosa fuerit & subtilissi-
ma Romanis testamentaria solemnitas, etiam utile visum fuit,
annulo potius, quàm alio signo fieri consignationem, ut faci-
lior esset probatio, si quando characteris fides in dubium vo-
cetur; notior enim amicis est character annuli, qui in digitis
gestari solet, atque idè recognosci potest facilè, ut notat Dua-
renus *ad tit. qui testam. fac. poss. cap. de testam. in script. in fin.*
Hodiè autem non tantum annulo, sed quolibet alio signo
καραινῆρα habente, signare licet, cum in Constitutionib. Maxi-
miliani I. *Colonia de anno 1512. in tit. Von Testamenten. §. Nun-
die Form eines Testaments in Schrifften*: ponatur generale
vocabulum *Ihre Signeten*. Nec interest, utrum quis proprio
an alieno signo signaverit testamentum, *l. 22. §. 2. qui testam.*
fac. poss. §. 5. Instit. de testam. ordin. imò etiam ipsius testato-
ris annulo signare licet, *dict. l. 22. §. 2.* Tutum tamen fuerit,
si is, qui alieno annulo signavit eius rei in subscriptione fecerit
mentionem. *Dd. communiter*, Et hæc de singularibus testa-
menti scripti.

XXXIV. Nuncupativum testamentum duo habet
singularia, quibus à testamento scripto distinguitur. 1. Quod
possit fieri sine scriptura, *§. ult. Instit. de testam. ordin.* & omissis
subscriptionibus & sigillationibus. *Menochius part. 2. lib. 4.*
presumpt. 2. ubi id num. 14. & seqq. tradit. Quamvis etiam ad
meliorem probationem in scripturam redigi possit, quando
scilicet testator coram septem testibus & Notario ultimam
suam voluntatem declarat & manifestat, quem sibi velit here-
dem

dem esse, ac rogat Notarium, ut hanc suam ultimam voluntatem redigat in publicam scripturam seu instrumentum atque ita Notarii illa scriptura per se plenam fidem facit, mortuis etiam testibus glossa singularis in l. 2. princ. & ibi Bart. & Dd, ff. quemadm. testam. aper. de hoc plenè videri possunt des Reichs Abschied in comit. Colon. anno 1512. sub tit. von Testamenten. §. Und sollen die Notarii.

XXXV. Secundò, quòd fiat nuncupatione, hoc est, clarè & intelligenter declarata testatoris ultimâ voluntate, l. 21. in princ. qui testam. fac. poss. l. 21. §. 2. C. de testam. quem nimirum sibi velit heredem esse, §. ult. Instit. de testam. ordin. quod vel nominis proprii appellatione, l. 1. §. 3. ff. de hered. Instit. vel inevitabili signo & descriptione, l. 9. §. 8. dict. tit. vel reali demonstratione præsentis fieri potest. l. 58. in princ. ff. eod. rit. Nèc sufficere putamus in hoc testamento, ut testes audiant testatorem, sed etiam requirimus, ut sermonem eius intelligant. Quòd verò Divus Marcus scripsit non exigi in teste intelligentiam sermonis, l. 20. §. penult. ff. qui testam. fac. poss. ad scriptum tantùm testamentum pertinere putamus cum Donello lib. 6. cap. 10. Neque etiam sufficere putamus relationem ad schedulam quandam, in qua nomen heredis implicitum contineatur, ut argum. d. l. 21. in princ. ff. qui testam. fac. poss. juuct. l. ult. ff. de iure codicill. l. 21. in princ. l. 26. Cod. de testam. & ex d. Constit. Maximiliani 1. rubr. von Testamenten. vers. Aber die Form &c. probavit Ampliff. & Consultiff. Dn. Præses in reb. quot. sect. 3. thes. 78. p. 1. & in not. sub litt. qq. Hæc de testamento solenni, sequitur minus solenne.

XXXVI. Minus solenne testamentum nobis dicitur, quod certâ quidem at non communi Juris testamentarii formâ conficitur: Et hoc est vel paganum, vel militare. Paganum fit à paganis eâ formâ, quæ singulari Jure est constituta: Hoc autem Jus singulare vel favor, vel necessitas introduxit: Cùm autem favor alius sit certarum personarum, alius certarum causarum, à personis initium facturi sumus. Sunt autem personæ favorabiles 1. Rustici. 2. Parentes & liberi.

XXXVII. De

XXXVII. De testamento rusticorum constitutum est in *l. ult. C. de testam.* quâ constitutione Justinianus remisit rusticis testium numerum & subscriptiones, sed utrumque certâ conditione. Numerum quidem testium solennem remisit, si in illis locis, ubi testamentum fit, non reperiantur septem testes, dum tamen ne pauciores adhibeantur, quàm quinque, ubi etiam illiterati sufficiunt, si peritorum copia haberi non potest, *d. l. fin.* Si autem septem testes in eo loco, ubi rusticus testamentum facit, reperiuntur, isti sunt adhibendi, & quidem si septem literati τὰ γράμματα ἴσως ἄνδρος adsunt, ii rogati scriptæ testatoris ultimæ voluntati subscribere debent: Si autem tot quidem adsunt, sed non omnes literati, liceat literatis, pro ignorantibus literas, præsentibus tamen, subscriptionem suam interponere: sic tamen. ut ipsi testes cognoscant testatoris ultimam voluntatem, & maximè quem vel quos sibi heredes relinquere voluerit, *d. l. ult. C. de testam.*

XXXVIII. Hic favor quoque respicit parentes & liberos: Imperator enim Justinianus constituit, ut ex imperfecto quorumcunque parentum testamento inter quoscunque liberos parentum testatorum voluntas rata habeatur, *l. hac consultissima 22. §. ex imperfecto 1. C. de testam.* Et in tali testamento liberi etiam ex inæqualibus partibus heredes institui possunt, siue magna siue parva sit ista inæqualitas, *l. 16. l. ult. Cod. famil. ercisc. l. 8. C. de inoff. testam. l. 20. §. 3. l. 32. ff. famil. ercisc.* quamvis nulli in eo exheredari possint, *l. 6. 15. ff. de liber. & posthum.* & propterea quodcunque parentum scriptum olim suffecit, *d. l. ult. C. famil. ercisc.*

XXXIX. At postea Imperator Justinianus amplius constituit *Novell. 107. cap. 1.* ut, si literatus pater scripto inter liberos testari cupiat, ut ipse propriâ manu (quamvis secus videatur *Cuiac. consult. 1.*) non notis, sed claris & propriis literis, & liberorum nomina & uncias, ex quibus eos heredes esse velit: itemque res singulas, quas inter eos distributas velit, unâ cum facti testamenti tempore scribat, de quo plenius in *C. J. A. l. 28. tit. 1. thes. 25. num. 3. pr.*

XL. Si



XL. Si autem extranea persona liberis permista sit, in ea testatoris voluntas deficit, & quod ei relictum est, liberis adcrefcit, *d. l. hâc consultissimâ 21. §. ex imperfecto 1. in fin. C. de testam.* Si tamen testamentum sit ὀλόγερον, & palam testibus nuncupatum, liberi ex eo legata extraneis præstare tenentur, *d. Novell. 17. cap. 1. in fin.*

XL I. Non autem simpliciter imperfecta parentum voluntas inter liberos valet, sed ea demum, de qua constat esse ultimam parentum inter liberos voluntatem: Hoc autem constat vel scripturâ, vel testibus: Prius locum habet, si propriâ manu parentes ultimam suam voluntatem testati sint, & inter liberos conveniat, hanc esse parentum manum.

XL II. At si ambigitur, an scriptura hæc parentum sit, vel si absque scriptura contenditur, hoc vel illud parentum ultimam voluntatem esse, ad testes recurritur: Quia autem certus testium numerus in Jure de hoc articulo non est expressus, duo etiam non rogati, idonei tamen sufficere videntur, *l. ad fidem 11. cum l. seq. ff. de testib.* Quemadmodum etiam ex dict. Constit. Maximiliani I. §. 26. Und sollen die Notarien. *vers.* Aber in Testamenten. in testamento parentum utriusque sexus inter liberos sufficiunt duo testes, si modo per illud testamentum inter liberos aliud prius non rumpatur.

XL III. Porro hîc notandum, quæ de liberis dicuntur, accipienda esse non tantum de liberis in potestate retentis, sed etiam de emancipatis, *l. ult. C. famil. erciscund.* & non modò de legitimè procreatis, sed etiam de legitimatis per generalitatem, *d. l. hâc consultissimâ 21. §. ex imperfecto 1. C. de testam.* & non tantum de liberis in primo gradu, sed etiam de nepotibus, *d. l. 21. §. 1. ibi: solos liberos junct. l. 220. de verbor. signif.* non etiam de tantum naturalibus, inter hos enim Jure communi testari debet, *arg. d. l. ult. d. l. 21. §. 1. junct. l. 6. de his qui sui vel alieni juris sunt.* Mater autem Jure singulari inter hos testari poterit, quia quantum ad matrem attinet, etiam liberi tantum naturales pro legitimis habentur, §. 3. *Instit. ad Senatusc. Orfic. l. 2. ff. und. cogn.*

XLIV. Cer-

X L I V. Certarum causarum favore Jure singulari fit testamentum ad pias causas, quicquid enim suprema alicuius voluntas in pias causas confert, ea tribus aut duobus tantum testibus legitimis requisitis rata habentur, *cap. relatum II. extra de testam.* Nam in piis causis periculum falsitatis non æquè ut in aliis præsumitur: Favor enim pietatis maior & justior est, quàm periculi metus.

X L V. Necessitas jus singulare introduxit in testamento quod tempore pestis conditur. Sanè res hæc, si ipsum Jus civile respiciamus, difficultate carere non videtur, cum nonnulli *l. casus maioris 8. Cod. de testam.* (quam communiter Dd. de contagione pestis accipiunt) non de peste, sed morbo comitiali intelligendam censeant: alii in ea numerum solennem & septenarium conveniendorum testium remissum esse putent, alii à necessitate conjungendi & sociandi testes in ea tantum recessum statuunt, ut videre est in *C. J. A. d. lib. 28. th. 28. num. 4. & Consultiss. Dn. D. Præses in reb. quot. d. sect. 3. thes. 79. num. 5. & in not. sub lit. rr.*

X L V I. Interpretes tamen in eo conveniunt omnes, hoc casu aliquid de solennitate Juris propter neessitatem relaxandum esse, ut ut de modo, quomodo hæc relaxatio fieri debeat, non omnes consentiant. Nos distinctionem adhibendam putamus: Aut enim testator peste correptus est, aut non est: Priori casu de solenni testium numero aliquid remittendum esse arbitramur, ob periculum contagionis, & hanc sententiam ut æquiores, & quia facit ad ultimarum voluntatum conservationem in Camera servari, testis est *Gail. lib. 2. observ. 118. in fin. Mynsing. cent. 1. observ. 96.*

X L V I I. Si verò testator peste correptus non est, omnino putamus eum solennem testium numerum in ultima voluntate adhibendum esse, quia jam cessat metus contagionis: excipimus eum casum, quò testator solennem testium numerum habere non potuerit.

X L V I I I. Militare denique testamentum quoquo modo à milite in expeditione occupato factum sit, ratum est, *l. 35. l. 40. ff. qui testam. fac. poss. l. 1. Cod. de testam. milit. post*

C

missio-



missiotem tamen honestam non ignominiosam intra annum tantum valet. *l. 13. §. missionem 3. ff. de re milit. l. 2. de his qui not. infam.* Quorum etiam referenda testamenta eorum, qui in hostico deprehenduntur, & ibi decedunt, *l. fin. ff. de milit. testam. l. 1. in princ. ff. de honor. possess. ex testam. milit. Dn. D. Locamer. quest. 219. super Instit.*

XLIX. Quod autem dictum est militis testamentum ratum haberi, quocumque modo factum sit, *l. 35. 40. ff. qui testamenta fac. poss. l. 1. C. de testam.* Id intelligendum est, si constet testamentum factum esse, §. *planè 1. Insti. de testam.* Quare si in convivio vel in familiari sermone aliquid dixerit, non eo animo, ut certè de rebus suis post mortem disponderet, nequaquam hoc vim testamenti habebit, *dict. §. planè 1. Institur. de milit. testam.*

L. Constat autem à milite testamentum factum esse, vel scripturâ, vel testibus: Scriptura quævis militis ad eam rem idonea est, dummodò intelligatur, & eam militis esse constet, adèd, ut si quid in vagina aut clypeo sanguine suo annotaverit miles, aut in pulvere scripserit gladio suo, ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem dereliquit, huiusmodi voluntatem stabilem esse oporteat. *l. milites 15. C. de testam.*

LI. Testibus æquè res probantur, *l. in exercendis 15. C. de fid. instrum.* In quibus, cum numerus eorum non adjiciatur, duos tantum sufficere receptum est. *l. ubi 22. ff. de testib.* An autem testes debeant esse specialiter ad hoc testamentum vocati, Interpretes variis rationibus inter se pugnant, cum de hac re nullum expressum textum in Jure inveniamus: Viglius, Wesenb. Zuichem. & alii non pauci id ipsum negant, quia testamentum militare fit secundum simplicitatem Jurisgentium, quod uullas solennitates requirit: & quia ex omnium sententia testium rogatio non est necessaria in testamento, vel parentis inter liberos, vel ubi pietate erga scriptum heredem movemur, vel ubi lex municipalis Juris solennia derogavit, Glossa circa fin. *l. fin. C. de Codicill. not. in l. hac consultissima 21. §. ex imperfecto. C. de testam.* quam sententiam nos quoque tuebimur, cum vidamur eam placuisse quoque Dn. Obrecht. *disp. de testam. th. 753.*

COROL.

COROLLARIA.

1. *An à lege divina sit alienum, quod Ius civile ad testamentum requirit septem testes, qua ait, in ore duorum vel trium stare omne verbum? Ita argumentatur Pontifex in cap. Cùm esses. extra de Testament. sed intempestivè.*
2. *An legitimatione filii naturalis rumpatur testamentum? Affirm.*
3. *An filius fideicommissio oneratus, jure civili possit detrudere duplicem quartam, legitimam & Trebellianicam? Negatur.*
4. *An ex publicatis paternis bonis filio debeat legitima? Negatur.*
5. *An in foro conscientia possint sine causa prateriri fratres cateriq; collaterales, institutis extraneis? Neg.*
6. *An filius legitimatus etiam in Iure primogenituræ præferatur filio legitimè nato? Aff.*
7. *An sicut in emptione venditione, ita & in locatione conductione se circumvenire licitum sit? Aff.*
8. *An in Consiliarios Principis propriè & per se committatur læsæ maiestatis crimen? Neg.*

Prestan-





Præstantissimo Dn. Respondenti
S. P. P.

TEstandi mentem servandam heredibus
olim, (agitas.
RENCKERE, egregio lumine formam
Testaris mentem gratam magnatibus olim;
Hæres fortunæ sic melioris eris.

Scrib. cum bono omine
& voto

Joh. Georg. Dorscheus D.

TAm circumspicis non ullus condere Scripta
limitibus didicit, non usquam clausula tanti
roboris adscripta est, nec cautum judicis unquam
jussu tam sancto, cui vafum frontis acumen
perfictæ fraudes non struxerit, atque doloso
infamis rabulæ rabies non flexerit ausu.
Obstruit his technis latebras RENCKERUS & Artes
Testandi repetit, queis est noscenda voluntas
Testatoris, id est, supplevit nominis omen.

f.
l. m. q.

Daniel Braun
Mæno-Francof.

Fructus

Fructus perdulcis sequitur, RENCKERE, labores,
Quod pulchrum specimen non negat hocce Tuum.
Dum doctis scriptis, quid testamenta, remonstras,
Quemq; habeant usum, sedulus ipse probas.
Sic quaeso pergas, Reverendi dulce parentis
Solamen, laudem semper ab arte feres.

Hacce
L. M. q.
approperabat

J. R. M.

Inceptus quicumque labor, studiumque loquendi
Testandi formam, quod petit alter agi,
In factum confert, nec non doctissime RENCKER,
Et laus & virtus Te numerosa manet.
De testamentis sed quare dicere verba
Incipies, Juris quæ loca prima tenent?
ERNESTUS forsan quòd tu dicaris, & idem
In studio Juris serius esse velis:
Rectè agis, & pergas, charus sic ipse parenti
Advenis, & tandem bella corona datur.

Scipsit
lmq.

Johannes Anthonius Beyland
Itzsteno-Nassovius.

Quod fieri per pauca potest per pluria nunquam
Fiat, sic paucis, sed tamen ex animo

C 3

HISCE

*HISCE Tibi gratulor, qui nunc sollemnia tractas
Testamentorum, fausta que cuncta precor.*

Hisce paucis fratri gratulatur

Georg. Burckardus Renckerus.

QUODCUNQUE inceptas, & opus quod tunc laboras,
Deforma atque modo testandi, pessima certè
Materia est, tristes & multos efficit, atram
Cum circa mortem versetur, frater amande,
Sed formam saltem commonstras, & nihil ad Te
Pallida mors, aliud fortassè subesse videtur,
Nimirum, dictus quò possis sæpius heres
Commodiùs fieri felix, cum divite dives.

Paucula hac fratri adscripsit

Reinh. Wilhelm. Renckerus.

F I N I S.



rus.

s,

erus.






X 2615934

Wort





DISPUTATIO JURIDICA
De
FORMA ET MO-
DO TESTANDI.

16

1650, 2

Quam
Divinâ favente gratiâ

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi

DN. GREGORII BICCHII,
U. J. D. & in Inclyta Argentoratensium
Academia Pandectarum Professo-
ris celeberrimi,

Dn. Patroni & Præceptoris sui omni observantiæ
& honoris cultu prosequendi,

Publicæ eruditorum disquisitioni submittit

JOHANNES ERNESTUS RENCKERUS
Lohrensis Hassus.

Ad diem 23. Martii, horis locoq; solitis.

ARGENTORATI

Typis Excudebat JOHANNES Pictel

ANNO M. DC. L.

